



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

lxxvi [i.e. v]. Causa præ supposita physicè existe[n]s ante suu[m]
effectu[m] nequit ab eo vicißim causari quoad primu[m] esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

quia sola contiguitas temporis tollit fundamentum actionis, nempe existentiam, quod non facit contiguitas loci. Neq; in contrarium facit, dum pila projecta in altum pergit moveri sursum, projiciente immediate post projectionem mortuo; hujus enim motus immediata causa est impulsus, qui manet, projiciente jam mortuo.

V. Nulla causa præsupposita necessario existens physicè ante suum effectum (quales causæ sunt formalis, materialis & efficiens) potest vicissim causari à suo effectu quò ad primum esse, nec in eodem, nec in diverso genere causæ, ne quidem supernaturaliter; daret enim talis effectus suæ causæ primum esse, ut dicitur, & non daret, quia causa ista jam supponitur aliunde habere suum esse, utpote sine quo non potuisset producere hunc effectum; quod autem supponitur habere esse ante effectum, hoc ab illo non accipit primum esse, primum esse siquidem illud dicitur accipere, quod ita accipit esse, ut non supponatur illud aliunde habere. Esset præterea talis effectus sui ipsius causa, adeoque se ipso prior, cum sit causa suæ causæ, adeoque & causati per illam, quod causa.

causatum est ipse. Non igitur dispositiones
causant formam & vicissim ab illa causantur;
quia tantum disponunt ad formam, & pri-
mo producuntur à generante, & licet dein
conserventur à forma introducta, forma ta-
men tum vicissim non conservatur ab iis, nec
intuitu illarum, sed intuitu sui ipsius, adeo-
que ab iis in nullo genere causæ seu à prio-
ri dependet, sed ad summum à posteriori,
si illi connaturaliter sine his dispositioni-
bus non debeat conservatio. Neque in-
troducitur novæ formæ causatur vicissim ab
expulsione veteris formæ, quam ipsa causa-
vit; unde dum dicitur: ideo introducitur
forma nova, quia expellitur vetus: non in-
troduceretur nova nisi expelleretur vetus: *id*
ideo & nisi non important sensum propriè
causalem; sed tantum significant connatu-
ralem connexionem inter introductionem
novæ & expulsionem veteris formæ; sicut
etiam sumitur in hac propositione: *nisi cede-
ret fenestra, non ingrederetur ventus*, significat
enim duas res esse sibi invicem condiciones
concomitantes, nempe ventum non posse
esse in loco fenestræ, nisi illa simul repella-
tur &c. sicut & in hac propositione: *rota*

priores in curru quatuor rotarum non moventur, nisi simul moveantur posteriores: de cetero & apertionis fenestrationis & ingressus venti causa est impulsus, si per apertionem fenestrationis intelligas motum localem, quo illa prius ubi deferens acquirit novum; similiter negatio istius prioris ubi tam venti, quam fenestrationis, causatur ab impulsu, sive vis impellens sit in ipso vento, sive in alio. Neque duo ligna sibi opposita in modum coni inferunt mutuam causalitatem; quia singulorum ubicationes causantur à suis ubicatis, negatio autem ulterioris motus sequitur ad utriusque ligni ubicationem: ex eo autem quòd unum lignum alterum impediatur, quòd minùs moveatur ulterius, sequitur tantum, duo posse esse sibi invicem impedimento. Neque manus duæ confri-cando se incalescentes; quia calor in utraque manu simultaneè producitur per spiritus vitales à motu excitatos. Neque prunæ conservant se influendo in se invicem, sed tantum junctis viribus fortius resistunt contrario. Potest nihilominus causa finalis causari vicissim à suo effectu in genere causæ efficientis V.G. potest ambulatio physicè causare sanitatem, à qua ambulatio causata fuit finaliter;

&

& de his intelligendus est Aristoteles inqui-
ens : *quadam vicissim sunt sibi causa.*

VI. Similiter naturaliter nequeunt duæ
res se mutuò producere quò ad secundum ef-
se ; foret enim ista secunda productio & mul-
tiplicatio actionum totalium respectu ejusdē
effectus superflua in ordine ad finem à natu-
ra intentum , potest id tamen fieri divini-
tus : V. G. possunt duo ignes producti à
solo Deo in eodem instante à Deo elevari ad
se mutuò producendos , imò effectus ad re-
producendā suam causam, per actiones, quæ
prioribus superveniant , illasquē essentialiter
præsupponant, utpote per quas accipiunt pri-
mum esse & existētiam, quæ est fundamentū
necessarium , ut possint operari , & secundò
producere suam causam vel rem aliam. Et sic
tales duæ causæ essent sibi priores & poste-
riores prioritate & posterioritate sive depen-
dentiā & independentiā fundata in diversis
actionibus V. G. ignis A producens secundò
ignem B, & secundò reproductus ab igne B,
quò ad primum esse , quod habet indepen-
denter ab igne B, & à quo dependenter dat
secundum esse igni B , est prior igne B : quò
ad secundum esse , quod accipit ab igne B
e 6 existen-